



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **D. Ioannis Ivsti Lanspergii Carthvsiani, Natione Bavari, Opvscvla Spiritvalia**

ab ipso Autore partim Latinè, partim Germanicè euulgata

**Landsberg, Johannes Justus**

**Coloniae Agrippinae, 1630**

Mors vt Sanctis sit in desiderio, & à quantis malis liberet. Can. VIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45857](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45857)

2. Cor. 5.

Psal 43.

grauissimum videtur exilium: vti verissimè Apostolus meus Paulus protestatus est, dicens: *Quamdiu sumus in hoc mundo, peregrinamur à Domino.* Huic concordat regi-  
 gius ille Psaltes Dauid, cui præsens hæc vita, admodum fuit molesta & grauis, qui  
 ita in Psalmo loquitur: *Situit anima mea ad Deum fontem viuum. Quando veniam &  
 apparebo ante faciem Dei.* Hæc de mortis origine, speciebus & effectibus sint dicta.

*Mors vt Sanctis fit in desiderio, & à quantis malis liberet.*

## CANON VIII.

**V**T autem dilucidius intelligas ô filia quæ dico, scito & pro comperto habes  
 mortem) quæ est ianua atque introitus ad vitam) Sanctis meis esse in deside-  
 rio, & vitam in patientia, propter nimium me videndi, contemplandi & lau-  
 dandi desiderium, quod vsque adeò in eorum cordibus excreuit, dum meū erga se  
 amorē, & gaudia cœlestis patrie meditatur, vt graue nimis illis videatur, nō posse  
 semper mea præsencia & dulci familiaritate perfrui. Quid enim habet amittere cū  
 hac misera infelici vita huiusmodi anima, nisi peccandi statū, delictorum laqueos,  
 ruinarum occasiones, inimicorum fraudes, propriam fragilitatem, timores, aliq̃  
 innumera, quæ animam vel ignorantem, vel infirmam, vel tepidam ( vt corporis  
 pericula hic taceam ) & propterea semper mutantem atque instabilem coangustant?  
 Multa hic vult anima, quæ non deberet, aut quæ nescit etiam se velle. Multa vult,  
 quæ non potest. In multis anima est ignara, cæca, & ambulans inter laqueos, aut in  
 tenebris, vnde se nescit extricare. Quomodo non meritò optaret, quomodo non  
 iam gauderet se ab his tristitijs atque periculis liberari? Quid itaque ô anima iam  
 times, quid non desideras mortem? Quid enim mali tibi adferet mors? Si nihil in  
 hoc mdo amas, nihil tibi mors tollere potest. Si aliquid mundi amas, cū periculo,  
 imò ipsum tuum periculum amas. Ante igitur mortē, amare desine, vt timere ha-  
 beas mortem. Porrò, si me solum in hac vita amas, gaude, quia morieris, & nō nisi  
 moriens assequeris quod amas. Verùm scio quid times: nihil quidem in hoc  
 mundo diligis, nihil quod amittere aut nolis, aut doleas, possides. Angustat tamen  
 te formido & pauor, quia nescis amore an odio dignus sis: nescis quomodo à me sis  
 excipienda, ad requiem, an ad pœnam. Nihil horum filia debes scire, imò ne expe-  
 dit quidem. Sta, licet timeas, in spe & fiducia, & viuens & moriens erga me. Nō po-  
 tes ex te bene viuere, & non potes ex te bene mori. Vtrunque habes ex me. Quomo-  
 do si tibi dederò bene viuere, non dabo etiam bene ac feliciter mori? Cum igitur  
 omnia habeas ex me, cum omnia ex me expectes, quomodo vnū speras, aliud des-  
 peras? Ex te neque bene viuere, neque bene mori potes. Confide igitur in me, iacta  
 cogitatum tuum in me, proijce omnē timorem & sollicitudinem tuam in me. Sicut  
 nulli potes tentationi resistere, nullum euadere peccatum viuens, ita nec moriens.  
 Si vigentem te non derelinquo, si tentationem fideliter præuenio ac moderor in  
 vita vt possis sustinere, ita id ipsum facio in morte. Nunquam tuis armis vadas in  
 prælium, sed innitendo super me. Si innixa fueris super me, ego pugnabo pro te.  
 Porrò me pugnante ac propugnante, quid habes timere, quæ nihil es ex te.

*Mortis conditio iustis, Dei que amicis non timenda.*

## CANON IX.

Anima vt in  
 multis sit  
 cæca & nescia

Eccle 9.

Psal 54.  
1. Pet. 5.